

Novo tamen Testamento De Wette pepercit, quia id aetate historica ortum sit.

Recentiore autem tempore multi historiam et religionem antiquissimorum populorum mythos physicos et linguisticos esse volunt. Hoc de historia et religione populorum Indo-germanicorum docet *Max. Müller*, prof. Oxoniensis. De sententia ejus populi antiqui cogitationis abstractae minus capaces, omnia forma sensibili induerunt, et tamquam personas, viros aut feminas repraesentarunt. Idem etiam partibus et viribus naturae fecerunt: soli, lunae, stellis, diei, nocti, caelo, terrae, mari, fulguri, aurorae, nubibus, pluviae, montibus, flaviis etc. His omnibus vitam et actiones, eventibus mundanis similes attribuerunt. Quae primum metaphorice vel symbolice dicta, deinde pro vera historia habita sunt; imo tales dii ficticii (praesertim deus solis) cum viris historiae celeberrimis confusi.

Theoriam mythorum physicorum et linguisticorum alii in populos Semiticos, etiam in »mythologiam Hebraicam« extenderunt. Prof. Berolinensis *Steinthal* Samsonem jam ob nomen (שֶׁמֶן = sol) deum solis jubare eriniti, fecundantis, generantis, comburentis, vastatoris, Melkart Phoenicum et Herculi Graecorum similem, historiam autem Samsonis mythologiam solis esse existimat.¹

Eandem interpretationem in totam fere historiam populi Israël applicavit *Ign. Goldziher* prof. Budapestensis, qui ex etymologia nominum significationem personarum biblicarum physicam (meteorologicam) vult invenire.²

Ita de sententia ejus Adam (rufus) est sol lucens, Abel (*hebel*) ventus, Cain (*qajin* faber ferrarius) sol urens, Abram (pater altus) coelum nocturnum, Sara (domina) luna, Isaac (ridens) crepusculum, Esau (Edom = rufus) sol, Jacob (supplantator) coelum nocturnum humidum, Rebecca (rete) terra fecunda, Rachel (ovis) nubes, Joseph (multiplicans) pluvia. Transitus maris rubri est occasus solis et ortus ejus ab altera Oceani parte. Etiam Jonas est sol occumbens et oriens. David, etsi persona historica, solis imago est. Longo tempore postquam mythi illi nati erant, populi Semitici personas istas mere symbolicas patres suos fuisse finxerunt, et suam historiam tribuumque affinium gesta iis attribuerunt. Ita mythos patriarcharum ortus dicitur.

¹ Die Sage von Simson. Zeitschr. für Völkerpsych. und Sprachwissenschaft. 1862. p. 129—178.

² Der Mythos bei den Hebräern, Leipzig, 1876.

3. — *Ad interpretationem Antiqui Test. mythicam* respondemus.

a) Interpretatio haec *falsis opinionibus praejudicatis nititur*: supernaturalia impossibilia esse, libros ss. A. T. authenticos ac fidedignos non esse, imprimis autem libros Moysis, Josue et Iudicum, demum post exsilium scriptos, collectanea esse mythorum memoria historica antiquiorum. Hae tamen opinones sunt placita rationalismi dogmatici et isagogici alibi refutati. Hic tantum monemus, magnam illam, quae apud rationalistas de origine librorum ss. A. T. invenitur, opinionum varietatem ac pugnam, signum esse erroris certissimum.

b) *Falso asseritur analogia* historiae sacrae et profanae. Aliorum populorum, praeter Hebraicum historiam mythis incipere concedimus. Sed idem apud Hebreos praesumere tunc tantum licet, si origo religionis Hebraeorum naturalis demonstrata esset, — quae tamen quaeritur, et non nisi petitione principii a priori affirmatur. Facta autem historica analogiae illi repugnant.

c) *Mythologia est filia polytheismi* ac vitae humanae deorum, monotheismo et Deo spiritui puro perfectissimo repugnans. Atqui monotheismus in toto mundo antiquo nisi apud patriarchas et Israëlitas non invenitur. Si ergo ii soli excepti contra omnem historiae gentium analogiam unum Deum coluerunt, nequaquam mirum, imo consequens est, ut iisdem etiam mythi abfuerint.

d) *Historia biblica antiqua longe alia est*, atque historia gentium mythica. Ipsa religio, quae utrique subest, valde diversa; ibi monotheistica et rationabilis, hic autem polytheistica et absurdia. Mythologiae de aetate prehistoricæ multa, de historicæ paucissima loquuntur; Antiquum Test. vice versa. Sola historia biblica recentem generis humani originem docet. Historia biblica aetatem prehistoricam gestis hominum explet, mythologia nulla re vel gestis deorum ineptis. Miracula biblica sunt Deo et ratione digna; miracula mythologiarum plerumque absurdâ, jocosa, imo petulantia ac bonis moribus contraria. Denique scientia antiquitatum historiam biblicam (etiam patriarcharum) ubi in monumentis obviam habuit, etiam confirmavit; mythologias autem fabulas esse probavit. Ipse Strauss (Leben J. I. 77.) agnoscit, characterem historiae Ant. Testamenti et historiae mythicæ gentium esse contrarium.

e) Frustra etiam ad *ignorantium causarum naturalium, imperitiam cogitationis abstractae, vividam imaginationem, troporum frequentiam, mundi personificationem et linguam imperfectam* provocatur. Monotheismus Hebraeorum testatur, apud eos ideam Dei a

mundo distincti adfuisse et fictionem personarum mundanarum ab iis alienam fuisse. Antiqui sane frequenter tropis et symbolis utuntur; sed ea saltem in Bibliis ad verbum non accipiuntur et a rebus ipsis bene discernuntur. Neque ipsi mythi gentium omnes philosophici sunt et physici, sed multi historici. Nomina propria antiquorum, sicut etiam nostra de rebus physicis saepe depromutur; sed ne illi quidem tam stulti fuerunt, ut personas ita nominatas cum significatione nominis confunderent.

Methodo rationalistarum hodie quoque de plurimis hominibus a rebus naturae vel nominibus appellativis denominatis, vel corpore fatisque astris, elementis, personis mythicis similibus, demonstrari posset, eos non personas humanas, sed symbola mundanorum vel deos fuisse, ut quidam de Cyro et Alexandro M. et studiosi Dublinenses per jocum de ipso Max. Müller fecerunt.

f) *Gentes traditione primigenia et revelatione destitutae* ad rerum originem explicandam mythologias excogitarunt, vel eas cum reliquis prae traditionis confuderunt; patriarchae autem et Hebraei traditionis primigeniae heredes et revelationis educationisque divinae participes, fabulis non indigebant nec falli poterant.

g) *Christus Dominus* Antiquum Testamentum revelationem divinam esse auctoritate sua *confirmavit*. Hinc aut Novum Testamentum una cum Antiquo pro mytho ducendum est ac rejicendum, aut neutrum mythicum habendum.

4. — Theoriam mythicam in *totam historiam evangelicam*. etiam vitam Jesu publicam antea intactam extendit *David Frider. Strauss* (1808—74). Hic anno 1835. librum infamem *Das Leben Jesu* (Tübingen, 1835. ed IV. 1840.) edidit, quo interpretationem evangeliorum mythicam induxit.

De sententia Straussii neque interpretatio supernaturalistica, neque rationalistica (antiquior, naturalis) rectae sunt. Prior non, quia nullius religionis divina origo probata est nec probari potest; nam religio supernaturalis miracula praesumit, quae a priori impossibilia sunt. Praeterea evangelia pugnis internis et externis scatent, quae inspirationem excludunt. At etiam antiquae theoriae rationalistiae falsae sunt (interpretatio naturalis egregie refutatur): ideo non relinquitur alia historiae evangelicae et religionis Christianae explicatio, nisi mythologica.

Mythos evangelicus, ut Strauss docet, est: *idea primaeva Christiana, forma historiae inconsulto factae induita*. (Geschichtartige Einkleidung urchristlicher Ideen, gebildet in der absichts-

los — arglos — dichtenden Sage.) Postea tamen (Leben J. für das deutsche Volk.) Strauss etiam fictioni consultae multo majorum partem tribuit, quam antea.

Sed *quomodo mythos Christianus ortus est?* Religio nova non potest nasci, nisi aetate, qua imaginatio et fanaticismus regnant, qualis erat aetas Christi apud Judaeos. Occasionem autem mythi evangelici formandi dederunt ideae Messianae ex mythologia Hebraica et ex desideriis politicis ortae, quas fovebat jugum intolerabile Romanorum. Omnes ergo Judaei liberatorem exspectabant, et quemvis virum egregium Messiam esse suspicabantur. Tunc prodiit Jesus, simplex rabbi, qui a Baptista ideas Messianas edoctus, sibi et aliis persuasit se esse Messiam promissum. Quamquam ideas theocraticas in essentia professus est, eas tamen nobilius quam aequales ac spiritualiter accepit, et ipse virtutibus excelluit. Populo gratus et venerabilis scribarum pharisaeorumque invidiam atque odium incurrit, quapropter seditionis accusatus cruce sublatus est. Haec est historia Christi, qua plus de eo sciri nequit; reliqua in evangeliis narrata mythi sunt.

Multi Judaeorum Jesum Messiam accipientes, ideas Messianas, prophetias (saepe male intellectas), typos et miracula a Messia exspectata in Jesu evenisse sibi persuaserunt (Verherrlichungs-Kanon), quasi sequenti ratiocinatione usi: Messiam talem esse et talia facere oportet; atqui Jesus est Messias: ergo Jesus talis fuit et talia fecit. Historia ergo Christi (historia evangelica) et Novum Testamentum ad exemplar antiqui testamenti formata sunt; hujus ideas, et exspectationes expresserunt, quasi incorporarunt in persona Christi ideali.

Mythos Messiae (Christi) jam ante Christum formatus erat; ut ille in Jesum transferretur, sufficiebat aliquot decennia. Medio saec. II. mythos Christi jam consummatus erat. Et tunc, quum nemo amplius scivit, quis et qualis revera Jesus fuisset, sed solus Christus mytho fictus notus erat, evangelia conscripta sunt.

Ne autem religio Christiana, ejusque ad homines consolando, ac mores emendando utilitas omnino pereat, eam Strauss speculazione dogmatica restituere conatur. Dicit enim essentiam christologiae ab historia et examine critico minime dependere; sed sublata historia Christi, manere dogma seu ideam Christi incarnati, quae etiam sine fundamento historico dogmatische vera sit, — non quidem in individuo Christo, in quo praedicata divina et humana inter se alioquin repugnant, verum in genere humano. Genus enim humanum revera esse unionem

naturae divinae et humanae, filium spiritus et materiae, quam veritatem mythos incarnationis (vel Jesus) primus hominibus intimaverit, et ad intelligentiam veterum sensumque popularem accommodaverit. Pro scientia adulta Christum incarnatum non esse individuum historicum, sed ens ideale, philosophia demonstrandum — ut jam prius Schelling, Hegel, Schleiermacher docuerant.

Post librum de vita Jesu editum Strauss ulterius in negatione progressus, mox in pantheismum, postremo in materialismum lapsus est, ad ultima rationalismi et protestantismi consecutaria perveniens. Tiguri propter incredulitatem ab ipsis protestantibus, quominus munus professoris susciperet, impeditus, annis 1840. sq. dogmaticam suam edidit (*Die christl. Glaubenslehre in ihrer geschichtl. Entwicklung, Tübingen und Stuttgart, 1840. sq.*), qua jam omnia dogmata Christiana abnegavit. Anno 1864. jam pantheista Hegelianus novam vitam Jesu pro populo scripsit (*Das Leben Jesu für das deutsche Volk, Leipzig, 1864. Ed. IV. Bonn, 1877.*), ubi in mythis jam magnam partem consultae fictioni tribuit, et ex religione Christiana pantheismum symbolicum fecit, Christumque idealem genus humanum esse dixit. Anno 1872. ultimum opus edidit (*Der alte und neue Glaube, 1872. Ed. XIV. 1895.*), quo ipsa Dei existentia et animae immortalitate negatis, mundum aeternum et darwinismum, uno verbo materialismum professus est, et omnem religionem cultumque divinum abolenda, societatem humanam ferro ac vi sine motivis religiosis conservandam censuit.¹

5. — *Interpretatio Novi Testamenti mythica omnibus factis et legibus historiae repugnat.* Nam

a) Tota theoria mythica *non factis historicis innititur, sed ut ipse Strauss fatetur* (*Leben J. I. p. XI. 75. sq. 84. 87. 103. etc.*), *opinionibus philosophicis*; praesumit enim revelationem, miraculum, incarnationem a priori impossibilia esse. Non examen historiae hanc theoriam peperit, sed theoriae philosophicae studia critica a recto tramite declinarunt.

b) Theoria mythica etiam *falsis hypothesis historicis* temere assertis *nittitur, praesertim illi, testes vitae Jesu authenticos et fidei signos deesse, evangelia non esse authentica, sed demum post medium saec. II. scripta.* At dubium non est (ut in introductione demonstratur), quin evangelia saeculo I. testibus oculatis adhuc

¹ Alia opera ejus: *Julian der Abtrünnige, 1847. Ulrich von Hutten, 1858. Der Christus des Glaubens und der Jesus der Geschichte, Berl. 1865. Die Halben und die Ganzen, 1865. Lessing's Nathan, 1865. Voltaire, 1870.* Etiam vitam aliorum aliquot eisdem farinae virorum scripsit.

viventibus extiterint, imo ab apostolis, eorumque discipulis scripta sint. Adsunt etiam epistole Paulinae, ex quibus ipsae quattuor illae (*Rom., I. II. Cor., Gal.*), quas fere omnes rationalistae S. Paulo adscribunt, essentiam historiae et doctrinae evangelicae continent. Pugnae autem evangeliorum, quas Strauss praetendit, mere apparentes sunt; et etiamsi verae essent, inspirationem tantum refutarent, non auctoritatem narrationis historicam, quae sola sufficit ad theoriam mythicam evertendam. Revera vix ullum factum in historia antiqua exstitit, quod duo testes oculati, et duo testimonia oculatorum discipuli scriptis traderent, alii testes oculati et plures coaevi memorarent, et multi supares coram testibus oculatis sribentes repeterent, plurimique testes sanguine profuso confirmarent. Ergo nullum est factum antiquum simili fide dignum.

c) Inter mortem Jesu et propagationem christologiae indubitatam absolute *deest tempus ad mythum evangelicum efficiendum sufficiens.* Etenim mythos viventibus testibus oculatis et eorum filiis discipulisque formari nequit. Est enim figmentum inconsultum, et bona fide factum; atqui impossibile est, ut testes oculati vel qui eos consulere queunt, de natura alicujus adeo errant, ut hominem pro Deo habeant. (*Fictionem consultam seu fraudem aliae causae non minus firmae excludunt.*) Etiam ab ipso Strauss (*Leben J. I. 100.*) edocemur, mythum tunc demum nasci, quem nemo amplius sciatur, quis et qualis revera persona mythica fuerit. At testes oculati et eorum filii ac discipuli ultra unum saeculum vivunt, quo tempore mythos ne inchoari quidem potest. Et quem mythos praesertim amplior, plurium generationum opera efficiatur, ante aliud semisaeculum vel saeculum perfici non potest. Mythos ergo Christianus ante finem saec. II. adesse non potuit. Si autem scripta testimonia vel aequalium fidei signa exstant, quae veram hominum factorumque memoriam posteris tradant, tunc mythorum formatio in perpetuum impeditur.

Atqui adsunt testimonia oculatorum et aequalium scripta, evangelia et epistolae, quae vitam et doctrinam Jesu memoriae produnt, imo Jesum se Messiam dixisse, et quem adhuc viveret, Messiam et Deum incarnatum habitum esse testantur. A S. Paulo annis 45—67. inter gentes Christum Deum-hominem et religionem universalem praedicata esse, omnes fere rationalistae concedunt. Exstant opera Patrum apostolicorum, haereticorum, ethnicorum (*Taciti, Plinii jun., Celsi*) e saec. I. et initio saec. II., quae testantur, eo tempore Christum in toto imperio Romano cultu publico cele-

bratum, honore divino affectum, et cum dispendio vitae dilectum esse; imo religionem Christianam jam firmas egiisse radices et minime recentem fuisse. Necesse est autem, ut fidem in Christum et propagationem religionis Christianae historia evangelica, saltem ore tradita, praecesserit. Ipse Strauss fatetur, historiam Christi fidei dignam habendam fore, si a testibus oculatis vel coaevis scripta probaretur.¹

d) Historia evangelica ad exemplar idearum Messianarum revealatarum antiqui testamenti conficta non est; eo minus ad imaginem idearum, quae aetate apostolorum apud Judaeos de Messia vigeant.

Harmonia utriusque testamenti indubitate non mythica antiqui imitatione efficitur, sed prophetica novi praedictione, et typica praefiguratione; ergo relatio utriusque testamenti non est mythica, sed prophetica et typica, — ut alibi (p. 221. sqq.) probatum est. Saepe autem vita Christi cum ipsis ideis Messianis biblicis Ant. Testamenti tantum sensu translato acceptis congruit, quas primi Christiani si imitari voluissent, certe aliter quam evangelia imitati essent. (E. g. Ps. 71, 7—11. Isai. 60, 1—6. et seqq.) Praeterea multi sunt eventus vitae Christi, quorum apud prophetas nulla fit mentio, e. g. baptismus.

Si autem de ideis *Messianis depravatis*, saeculo I. apud Judaeos receptis, agitur, constat, eas a natura et factis Christi in evangelii traditis toto caelo differre, ergo haec ad earum exemplar fingi non potuisse. Pharisaei enim et quotquot tum vivebant Judaei, atque ipsi apostoli Messiam regem terrestrem, politicum exspectabant, qui eos a jugo Romanorum liberaturus, regnumque Dei terrestre i. e. imperium Judaeorum in omnes gentes fundaturus esset. Hujus rei testes sunt non solum libri sacri (Math. 27, 29. Marc. 10, 35. sqq. Luc. 24, 21. Joan. 18, 33. 37. 19, 12. 19. Act. 1, 6.), sed etiam Josephus Fl. (Bell. VI. 5, 4), Suetonius (In Vesp. 4), Tacitus (Hist. V. 13.) et alii. Jesus ergo, apostoli, vel quicunque mythe evangelici auctores certe non theologi, aliam ideam quam genti suae familiarem ac gratam de Messia habere et imitari non potuissent. At Messias in evangelii

¹ »Für die Glaubwürdigkeit der biblischen Geschichte würde es von entscheidendem Gewicht sein, wenn es bewiesen wäre, dass sie von Augenzeugen, oder doch nahen Zeitgenossen der Begebenheiten beschrieben wäre.« Leben J. I. 64. — Fatendum tamen est, tempore Straussii argumenta historicia vetustatis evangeliorum et religionis Christianae, sicut hodie, collecta non fuisse.

proponitur humilis, patiens, regnumque Dei spirituale, universale, cuius etiam gentes participes futurae sint, quae idea saeculo I-o e Judaismo oriri non potuit.

e) Anachronismus est dicere, saecula I. ac II. mythis formandis in Palaestina *idonea fuisse*. Myths enim apud populos simplices, memoriam praeteritorum traditione custodientes nascuntur; historia autem scripta mythis finem facit. Apud populos cultiores ad summum aliquot fabulae magnis viris vel rebus adhaerescunt (ut Alexandro M., Friderico Barbarossa factum est), sed natura personarum factorumque essentialiter non mutatur. Atqui saeculum I. fuit aetas aurea historiae scriptae. Tunc enim inter Judaeos Philo, Josephus, scholae rabbiniorum, inter gentes Tacitus, Suetonius, Plinius etc. floruerunt. Ut Athenas, Corinthum, Romam aliasque civitates gentium, in quibus religio Christiana testibus Tacito et Plinio jam sub Nerone et Hadriano propagata erat, taceamus, in ipsa Palaestina a tempore Herodis M. cultura Graeco-Romana vigebat, magistratus et milites Romani sedem habebant, aulae regiae aulam imperatorum imitabantur, et majores Palaestinae civitates, ut rudera effossa ostendunt, urbes Graeciae et Italiae aemulabantur.

f) Moralis mundi renovatio et constantia martyrum etiam theoriam mythicam convellunt. Unde primi fidei praecones zelum, fortitudinem et mortis contemptum, unde primi fideles motiva fidei, voluptatibus vitaque fortiora accepissent, quum Jesus adhuc merus rabbi haberetur, cruce interemptus, qui vitam amissam compensare non posset? Et saeculo II. quum jam nemo sciret, quis et qualis fuisse Christus, quum fabulae tantum incertae de eo circumferrentur, sed nondum universalis fides divinitatis esset orta: quomodo ethnici, fictionis expertes mythumque mente critica et inimica spectantes, fabulam incertam, mirabilem et passionibus adversam acceptassent, Christum illum fictum cum ipso vitae dispendio dilexisserint? Theoria ergo mythica ipsa ecclesiae existentis mole conteritur.

Errores Straussii refutarunt: Hug, *Gutachten über das Leben J. von Strauss*, Freiburg, 1839. Sepp, *Das Leben Christi*, Regensburg, 1843. Tholuck (protest.), *Die Glaubwürdigkeit der evangelischen Geschichte*, Hamburg, 1837. Dr. Mack, *Tübing. Quartalschr.* 1837. deinde Olshausen, Neander, Ullmann, Grimm et multi libri manuales. Vitam Straussii bene scripsit Hettinger, D. Fr. Strauss, *Ein Lebens- und Litteraturbild*, Freiburg, 1875.

§ 104.

Schola critica Tübingerica.

1. — Schola critica Tübingerica, a loco natali sic nominata, originem religionis Christianae et librorum ss. N. T. a Judaismo philosophia ethnica penetrato, et a diuturnis litibus primarum sectarum dedit. Schola haec e theoria Straussii mythica nata est, quam recenti origine librorum N. T. explicata positive seu historice probare, idest tempus mythis fingendis necessarium invenire voluit. Moderatior tamen est, quam Strauss, et personam Christi historicam agnoscit. Altera causa hujus scholae fuit philosophia Hegelianica, omnia ex evolutione et unitate contrariorum (synthesi antithesium) repetens.

Essentia doctrinae Tübingericae haec est. Religio Christiana est evolutio theologiae Judaicae, et idearum Judaismi cum philosophia Graeca commixtio. Evolutio et commixtio ista saeculis I. et II. facta est. Christus Judaismum reformando fundamenta religionis Christianae posuit, opus tamen Paulus perfecit, qui religionem universalem condidit. At Paulo ejusque scholae (Paulinis) Judaei (Petrini antiquiores) se opposuerunt, et pugna harum factionum ad saec. II. duravit, quando pace inita composita est. Utraque factio et ipsa reconciliatio sua habuerunt scripta, e quibus per plures refectiones prodierunt libri ss. N. T. et quidam apocryphi. Hi libri saeculo II. orti, et post pacem factam pars in canonem collecti, testes sunt factionum antiquarum.

Auctor scholae Tübingericae est *Ferdinandus Christianus Baur* (1792—1860.), Straussii magister.

Doctrina Bauri, qui supernaturalia historia eliminare conatur, est sequens. Religio Christiana non est opus unius auctoris personalis, sed diuturnae evolutionis et pugnae idearum. Elementa doctrinae Christianae omnia partim in theologia Judaeorum, partim in philosophia Graeca inveniuntur, ex quibus religio Christiana non subito perfecta prodiit, sed per processum lentum et naturalem evoluta est.

Initia processus illius posuit Jesus (rabbi ingeniosus), qui Messias habitus religionem Judaeorum reformavit et spirituali interpretatione excoluit, itaque non novam religionem, sed ad summum novam sectam Judaicam condidit, ad quam esseni maxime se adjunxerunt. Asseclae Christi fuerunt Judaei, principe Petro. Ad hanc sectam paulo post accessit Paulus, qui e secta Christi Judaica novam religionem universalem efficiens, ei viam inter gentes aperuit, qui ergo praecipius

ac verus religionis Christianae auctor dici meretur. Quattuor majores Pauli epistolas (Rom., I. II. Cor., Gal.) schola Tübingerica authentica et fide digna originis ecclesiae documenta agnoscit.

His tamen Pauli conatis Judaei et apostoli fortiter restiterunt. Ita testibus libris N. T. duas ortae sunt factioes, invicem se vehementer oppugnantes: ebionita-petrina seu Judaeo-christiana ex Christi discipulis collecta, cuius capita erant Petrus, Jacobus et Joannes, — et Paulina seu ethnico-christiana; illa antiquior, haec recentior. Paulus tamen in evangelio suo libere praedicando perseveravit, seipsum defendit et adversus apostolos pugnavit. Tunc ebionitae (sc. Petrini seu Judaei) contra Paulum Apocalypsim ediderunt, eique mortuo nomen Simonis Magi imposuerunt et fabulas affinxerunt (Clementinas), quae Simonem coram Petro ubique confundi narrant.

Post mortem apostolorum, exeunte saec. II., duae illae factioes a gnostismo invalescecenti et a magistratibus Romanis indiscriminatim vexatae, pacem inter se composuerunt, sententias oppositas mitigando et conjungendo. Ex qua pace nata est religio et ecclesia Christiana.

Libri sacri (et multi apocryphi) sunt opera controversiarum illarum (Tendenzschriften), et partim e schola Petrinorum, partim e schola Paulinorum, partim ex aetate pacis reconciliatae prodierunt. Quaelibet enim factio sua habuit evangelia, canonicorum parentia, aliaque scripta sacra, e quibus quaedam auctoritatem nacta, alia postea apocrypha declarata sunt, aliqua autem perierunt. Opera aetatis et factiois Petrinæ sunt: Apocalypsis (fortasse opus authenticum Joannis apostoli), evangelium secundum Hebreos (vel aliud Proto-Matthaei), evangelium Petri, evangelium ebionitarum et secundum Aegyptios. Opera Paulina sunt: epistolae S. Pauli ad Roman., I. II. Corinth. et ad Galat., et Proto-Lucas (evangelium Marcionis?). Tempore pacis compositae reliqui libri sacri (maximam partem pseudonymi) orti sunt: Ev. Marci et Joannis, Actus, epistolae pastorales, Matthaeus et Lucas canonici, Ep. Barnabae, opera Clementis Romani et S. Ignatii.¹

¹ Ex multis *Bauri operibus* praecipua sunt: Die Symbolik und Mythologie, oder die Naturreligion des Alterthums. Stuttgart, 1824. sq. Die christl. Gnosis oder Religionsphilosophie in ihrer gesch. Entwicklung. Tübingen, 1835. Incarnationem et redemptionem symbolice explicat. Der Gegensatz des Katholizismus und Protestantismus. Tübingen, 1834. II. Aufl. 1836. Contra Symbolicam Möhlerii. — *Opera autem biblica*: Die Christuspartei, Der Gegensatz des Petrin. und Paulin. Christenthums. Tübing. Zeitschr. für Theol. 1831. Nachtrag 1836. et multi alii tractatus. Die sogen. Pastoralbriefe. Stuttgart, 1835. Paulus der Apostel J. Christi. Stuttgart, 1845. et Leipz. 1866. Kritische Untersuchungen über die kanon. Evangelien. Tübingen, 1847.